

dere vel debeant alumni tui, Domine Jesu, quia videntibus illis es elevatus in cœlum, et desiderantibus oculis te secuti sunt gradientem in multitudinem fortitudinis tuæ. Vel certe spiritum duplicem dicere possumus illud, quod Salvator ad discipulos ait: *Qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet* (Joan. xiv, 12). Nonne majora Christo, per Christum tamen, fecit Petrus, de quo legitur: *Quia in plateis ponebantur infirmi in lectulis, ut veniente Petro saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, et liberarentur ab infirmitatibus suis?* (Act. v, 15.) Nusquam enim Dominus umbra sua invenitur infirmitates sanasse.

6. Non dubito ego intellectum omnium vestrum, qui hic estis, illuminatum esse; sed non affectum æque esse purgatum, manifestis approbabo conjecturis. Omnes quod bonum est nostis, et viam per quam incedere, et quomodo in ea incedere debeatis; sed voluntas non una est. Quidam enim ad omnia viæ et vitæ hujus et exercitia non solum ambulant, sed et currunt, imo potius volant, ut eis et vigiliæ breves, et cibi dulces, et panni suaves, et labores non solum tolerabiles, sed et appetibiles videantur. Alii autem non sic; sed corde arido et affectione recalcitrante, vix pudore (46) trahuntur ad hæc, vix gehennali timore compelluntur. Quosdam nec compellimus quidem, quibus frons mulieris meretricis facta est, et nolunt erubescere. Sunt, inquam, multi inter nos, qui nobiscum de uno pane comedunt, nobiscum dormiunt, nobiscum cantant, nobiscum laborant, miseri et miserabiles, utpote per omnia [alias deest per omnia] participes tribulationis, sed consolationis non ita. Nunquid abbreviata est manus Domini, ut omnibus donare non possit, qui aperit manum suam, et implet omne animal benedictione? Quid ergo in causa est? Illud omnino, quia non vident Christum cum tollitur ab eis; id est, non cogitant quomodo eos orphanos reliquerit, quod peregrini et advenæ sint super terram, quod tandiu fœculenti corporis horrido carcere teneantur, et non sint cum Christo. Hujusmodi autem, si diu ita permanserint sub onere, aut opprimuntur et succumbunt, aut quodammodo in inferno sunt, ut nunquam ad plenum respirent in lucem miserationum Domini, nec in libertatem spiritus, quæ sola facit jugum suave, et onus leve.

7. Inde autem tam perniciose tepiditas emanat, quia affectus, id est voluntas eorum nondum purgata est, nec bonum sic volunt sicut noverunt, a propria concupiscentia abstracti graviter et illecti. Amant enim in carne sua terrenas consolatiunculas, sive in verbo, sive in signo, sive in facto, sive in aliquo alio; et si hæc interrumpunt aliquando, non tamen penitus rumpunt. Inde est quod raro affectiones suas dirigunt in Deum, et eorum compunctio non continua, sed horaria est, et, ut verius dicam, mo-

(46) In quibusdam deest *vix pudore*, ut in Colbertino 3632; in quo post *compelluntur*, legitur *miseri et miserabiles*, sex versibus omissis. At *pudore* reti-

mentanea. Impleri autem visitationibus Domini anima non potest, quæ his distractionibus subjacet: 917 et quanto magis illis evacuabitur, tanto amplius istis implebitur; si multum, multum; si parum, parum. Vel certe si magis probas, nunquam istæ illis misceri poterunt in æternum; quia ubi vasa vacua non invenit oleum, stare necesse est; nec mittunt vinum novum nisi in utres novos, ut ambo conserventur. Neque enim spiritus et caro, ignis et tepiditas, in uno domicilio commorantur, præsertim cum tepiditas ipsi Domino solet vomitum provocare (Apoc. iii, 16).

8. Si enim apostoli adhuc carni Dominicæ inhærentes (quæ sola sancta, quia Sancti sanctorum, erat), Spiritu sancto repleti nequiverint, donec tolleretur ab eis; tu carni tuæ, quæ sordidissima est, et diversarum spurcitiarum phantasiis repleta, astrictus et conglutinatus, illum meracissimum Spiritum te posse putas suscipere, nisi carnis istis consolationibus funditus renuntiare tentaveris? Revera cum incœperis, tristitia implebit cor tuum; sed si perseveraveris, tristitia tua convertetur in gaudium. Tunc enim purgabitur affectus et voluntas renovabitur, vel potius nova creabitur, ut omnia quæ prius difficilia, imo impossibilia videbantur, cum multa percurrantur dulcedine et aviditate. *Emitte*, inquit, *Spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terræ* (Psal. ciii, 30). Sicut per faciem exterior homo cognoscitur, sic per voluntatem demonstratur interior. Emissio ergo Spiritu creatur et renovatur facies terræ, id est terrena voluntas fit cœlestis, parata ad nutum nutu citius obedire. Beati qui tales sunt; qui non solum malum non sentiunt, sed in mira quadam cordis dilatatione commorantur. De illis enim quos supra commemoravimus, terribiliter ait Deus: *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt* (Gen. vi, 3), id est carnales; et quidquid in eis spiritus fuerat, in carnem evanuit.

9. Quia igitur, charissimi, hodierna dies est, in qua sponsus aufertur a nobis, et non sine tumultu aliquo animorum nostrorum, ad hoc tamen ut mittat nobis spiritum veritatis: ploremus et oremus, ut dignos nos inveniat, vel potius efficiat, et repleat domum istam, ubi sumus sedentes, quatenus non vexatio, sed unctio ejus doceat nos de omnibus; sicque et intellectu clarificato et affectu purificato veniat ad nos, et apud nos faciat mansionem. Et sicut serpens Moysi devoravit omnes serpentes magorum (Exod. vii, 12); sic iste cum venerit, absorbebit omnes carnales affectiones et delectationes nostras, et infundet [infundet, alias deest] consolationes, ita ut de labore requiem, de tribulatione lætitiâ, de contumelia gloriam habeamus; sicut illi, quos repleverat, ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habitus sunt pro nomine Jesu contumeliam pati (Act. v, 41). Spiritus enim Jesu, nendum videtur, ut sermone 5, num. 7: « Quos denique vix gehennæ metus inhibet, vix pudor cohibet. »

spiritus bonus, spiritus sanctus, spiritus rectus, spiritus dulcis, spiritus principalis quidquid in hoc sæculo nequam videtur, difficile et augustum, leve facit et latum: opprobrium gaudium judicat, despectionem exaltationem esse persuadet. *Scrutemur* ergo, juxta prophetam, *vias nostras et studia nostra; levemus corda nostra cum manibus* (Thren. iii, 40). ut in solemnitate sancti Spiritus gaudeamus, et abundantius gaudeamus, qui nos inducat in omnem, sicut promisit Dei Filius, veritatem (Joan. xvi, 13).

SERMO IV.

De duabus malis ascensionibus dæmonis et primi hominis: et sex bonis, Christi et nostris.

1. Si Nativitatis et Resurrectionis Dominicæ digna devotione solemnia celebramus, hodiernum quoque Ascensionis diem non minus devote convenit celebrari. In nullo siquidem a festivitatibus illis ista degenerat, 918 sed finis earum et adimpletio est. Merito quidem solemnitatis et lætitiæ dies agitur, quando sol ille supercælestis, sol justitiæ, nostris se præsentavit obtutibus, nube carnis et mortalitatis sacco fulgorem suum et lucem temperans inaccessibilem magna quoque lætitia et exultatio multa nimis, quando conscisso sacco, lætitia circumdatus est, factaque de medio sacci ipsius non quidem substantia, sed vetustate, sed corruptione, sed miseria, sed vilitate, nostræ dedicavit primordia resurrectionis. Verumtamen quid mihi et solemnitatibus istis si conversatio mea usque adhuc detinetur in terris? Quis vero vel desiderare præsumeret ascensum cœli, nisi quia is qui descenderat, prior ascendit? Dico ergo vobis: non multo mihi tolerabilior videretur exilium hujus habitatio quam gehenna, nisi Dominus sabaotth reliquisset nobis semen fiduciæ et expectationis, quando elevatus est in nubibus, et spem fecit credentibus. Denique: *Nisi ego abiero, inquit, Paracletus non veniet ad vos* (Joan. xvi, 7). Quis paracletus? Utique per quem diffunditur charitas, et jam spes non confundit ille Paracletus, per quem in cœlis sit conversatio nostra; virtus ex alto, per quam sursum sint corda nostra (47). *Vado*, inquit, *parare vobis locum: et si abiero et præparavero vobis locum, iterum veniam et assumam vos ad me ipsum* (Joan. xiv, 2, 3). *Ubi enim fuerit corpus, ibi congregabuntur et aquilæ* (Matth. xxiv, 28). Videsne quemadmodum cæterarum solemnitatum ea, quam hodie celebramus, et consummationem habeat, et fructum declaret, et augeat gratiam?

2. Sicut enim cætera omnia ejus qui nobis natus est et nobis datus, ita ipsa quoque ipsius ascensio propter nos facta est, et facit pro nobis. In nostra siquidem vita, multa, quantum in nobis est, videmur agere casu, multa necessitate; sed Christus, Dei virtus et Dei sapientia, neutri potuit subjacere. Quæ enim Dei virtutem necessitas cogeret? aut quid age-

(47) Quidam ita habent, *et spem fecit credentibus. Æstimo autem quod et illi qui ait, Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea: unde et dicebat, Vita mea inferno*

ret Dei sapientia casu? Omnia proinde quæcunque locutus est, quæcunque operatus est, quæcunque passus est, ne dubites fuisse voluntaria, plena sacramentorum, plena salutis. Hæc scientes, si quid aliquando eorum, quæ de Christo sunt, in nostram scientiam venire contingat, non sic audiendum est tanquam si inventitium quidpiam proferamus; sed tanquam id quod etiam priusquam causa sciretur, constaret nequaquam sine causa fuisse. Sicut enim qui scribit, certis rationibus collocat universa; ita quæ a Deo sunt, ordinata sunt, maximeque ea quæ præsens in carne est operata majestas. Sed væ angustiae cognitionis [alias, cogitationis]; væ paupertati scientiæ nostræ, qui tantum ex parte cognovimus, et parte modica! Vix scintillule quædam nobis elucent de tanta luminis copia, de lucerna posita super candelabrum. Sane quanto minus singuli capimus, tanto fidelius cæteris communicanda sunt quæ singulis revelantur. Et ego, fratres, quæ mihi ad vestram ædificationem de ascensione, imo de ascensionibus suis donare ipse dignatur, nec volo, nec debeo subtrahere vobis: præsertim quod hæc sit spiritualium prærogativa donorum, ut communicata non minuatur. Aliquibus fortassis hæc nota sunt, quibus similiter hæc revelata sunt; sed propter eos qui forte non adverterunt subimioribus intenti aut aliis occupati; seu etiam propter eos qui minus capacis intelligentiæ sunt, mihi incumbit loqui quæ sentio.

3. *Christus qui descendit, ipse est et qui ascendit* (Ephes. iv, 10). Apostoli verba sunt hæc. Ego autem credo eum in hoc ipso quod descenderit, ascendisse. Sic enim oportebat Christum descendere [alias, ascendere], ut nos ascendere doceremur. Cupidi quidem sumus ascensionis: exaltationem concupiscimus omnes. Nobiles enim creaturæ sumus, et magni cujusdam animi, ideoque altitudinem naturali appetimus desiderio. Sed væ nobis, si voluerimus eum sequi, qui ait: *Sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis* (Isa. xiv, 13). Heu miser, in lateribus aquilonis! 919 Frigidus est mons ille, non te sequimur. Potestatis habes concupiscentiam, altitudinem præsumis potentiæ. Quanti tamen usque hodie fœda sequuntur infeliciæque vestigia! Imo vero quam pauci evadunt, quibus non dominandi libido dominetur! Hinc est quod benefici vocantur, qui potestatem habent; hinc, quod laudatur peccator in desideriis animæ suæ. Potentibus siquidem omnes adulantur, invident omnes. Quem sequimini, miseri homines? quem sequimini? Annon videtis Satanam tanquam fulgur cadentem? Non iste est mons, in quem ascendit angelus, et diabolus factus est? Vel illud advertite, quod post casum suum invidia cruciante male sollicitus de supplantando homine, illius tamen montis ascensum nullatenus ausus est suadere

appropinquavit. *Nunc vero spe salvi facti sumus in cuius altitudinem Christi nos ascensio sublimavit.* Vado, etc.

ei, in quo nimirum pro inani ascensu tam immane præcipitium cognosceretur expertus.

4. Sed non defuit versuto hosti quid ageret. Similem ei montem alterum demonstravit. *Eritis*, inquiens, *sicut dñi, scientes bonum et malum* (*Gen. III, 5*). Perniciosa etiam hæc ascensio, imo magis descensio est de Jerusalem in Jericho. Pessimus mons inflatus scientia, in quem tamen usque hodie videas tanta concupiscentia plurimos repere filiorum Adam, ac si non noverint quantum pater eorum in illius montis ascensu descenderit, imo quam graviter ceciderit, quantum tota dejecta sit et conquassata posteritas. Nondum sanata sunt vulnera, quæ tibi in ascensu montis illius inflata sunt, licet adhuc in patre lateres: et nunc iterum in propria persona conaris ascendere, ut sit error novissimus pejor priore? Quænam miseris tam dira libido? Filii hominum, usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? (*Psal. IV, 3*.) An ignorantis quoniam infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; et stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientes? (*I Cor. I, 27*.) Non nos Dei comminantis terror revocat, perdituri sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobaturi; non patris exemplum, non denique sensus ipse noster, et duræ experientia necessitatis, cui sumus addicti per insipientem scientiæ appetitum!

5. Ecce vobis, fratres, montem demonstravimus alium, non in quem ascendatis, sed quem fugiatis. Ipse est in quem ascendebat qui voluit esse sicut Deus, sciens bonum et malum: ipse quem usque hodie filii ejus accumulunt et elevant, nihil inventientes tam vile, unde non velint montem elevare scientiæ. Videas alium litterarum, alium mundialis curæ, istum placitationum displicentium Deo, illum servilis cujuslibet artis tam vehementer affectare scientiam ut laborem non reputet, tantummodo ut possit aliquibus doctior reputari. Sic ædificant Babel, sic putant ad Dei se perventuros similitudinem; sic concupiscunt quod non expedit, quod expedit omittentes. Quid vobis et montibus istis, in quorum ascensu tanta difficultas est, et tam grande periculum? aut cur eum deseritis montem, cujus et facilis est ascensus, et perutilis? Potestatis ambitio angelum felicitate privavit angelica; scientiæ appetitus hominem immortalitatis gloria spoliavit. Conetur quis ascendere in montem potestatis; quantos putas contradictores habebit, quantos inveniet repulsores, obstacula quanta, quam difficilem viam? Quid si tandem eum adipisci contigerit quod optabat: *Potentes*, ait Scriptura, *potenter tormenta patientur* (*Sap. VI, 7*): ut præsentis sollicitudines et anxietates, quas potestas ipsa parit, omittam. Cupidus alter est inflantis scientiæ; quantum laborabit, quantum anxietabitur spiritus ejus? Et famen audiet: Nec si te ruperis, apprehendes. In amaritudine morabitur oculus ejus, quoties videre contigerit, qui se posteriorem judicet, aut putet ab aliis reputari. Quid cum intinuerit multum? *Perdam*, inquit Dominus, sa-

piantiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo (*I Cor. I, 19*).

6. Jam ne multis immerer, vidistis, ut arbitrator, quam fugiendus nobis sit mons uterque, si præcipitium angeli, casum hominis expavescimus. Montes **920** Gelboe, nec ros, nec pluvia veniant super vos (*II Reg. I, 21*). Quid tamen agimus? Ascendere sic non expedit, et ascendendi tenemur concupiscentia. Quis docebit nos ascensum salubrem? Quis, nisi de quo legimus, quoniam *qui descendit, ipse est et qui ascendit*? (*Ephes. IV, 10*.) Ab ipso demonstranda nobis erat ascensionis via, ne ductoris, imo seductoris iniqui, aut vestigium, aut consilium sequeremur. Quia ergo non erat quo ascenderet, descendit Altissimus, et suo nobis descensu suavem ac salubrem dedicavit ascensum. Descendit de monte potentiæ, carnis infirmitate circumdatus; descendit de monte scientiæ, quoniam placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. Quid enim tenello corpore et infantilibus membris videtur infirmius? Quid indoctius apparet parvulo, qui sola matris ubera noverit? Quis impotentior eo, cujus omnia membra clavus affixa, cujus omnia dinumerantur ossa? Quis insipientior eo, qui tradebat in mortem animam suam, et quæ non rapuit tunc exsolvebat? Vides quam multum descenderit, quantum a potentia sua, quantum a sapientia sua exinanierit semetipsum. Sed non potuit altius in montem bonitatis ascendere, nec suam commendare expressius charitatem. Nec mirum si descendendo Christus ascendit, quando primum uterque cecidit ascendendo. Et mihi quidem videtur montis hujus ascensorem quærere qui dicebat: *Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus?* (*Psal. XXIII, 3*.) Forte etiam Isaias ascensionis desiderio cadentes intuens homines ad hunc revocabat montem, exclamans: *Venite, ascendamus in montem Domini* (*Isai. II, 3*). Annon manifeste eos de priorum montium ascensione redarguens, montis hujus prædicat ubertatem, qui ait: *Ut quid suspicamini montes coagulatos? Mons coagulatus, mons pinguis* (*Psal. LXVII, 16, 17*). Hic est igitur mons domus Domini præparatus in vertice montium, super quos salientem sponsum inspexerat, qui dicebat: *Ecce venit is saliens in montibus* (*Cant. II, 8*). Docebat enim ignarum viæ, trahebat parvulum, infantulum deducebat: ideoque velut quibusdam passibus ibat, ut de virtute in virtutem videretur Deus deorum in Sion (*Psal. LXXXIII, 8*). Justitia enim ejus sicut montes Dei (*Psal. XXXV, 7*).

7. Sed jam, si placet, saltus etiam ipsos intueamur, quibus exsultavit ut gigas ad currendam viam, et cujus egressio a summo cœlo, per gradus quosdam usque ad summum ejus occurrit (*Psal. XVIII, 6, 7*). Primum ergo constitue montem illum, in quem ascendit cum Petro et Jacobo et Joanne, ubi et transfiguratus est ante eos. Refulsit facies ejus ut sol, et vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix (*Matth. XVII, 1, 2*). Resurrectionis gloria ista est, quam in monte spei contemplamur. Ut quid enim

ascendit ut transfiguratur, nisi ut doceret nos cogitatione ascendere ad futuram illam gloriam, quæ revelabitur in nobis? Felix cujus meditatio in conspectu Domini est semper, qui in corde suo delectationes dexteræ Domini usque in finem sedula cogitatione revolvit! Quid enim grave illi poterit videri, qui semper mente tractat quod non sint condignæ passionibus hujus temporis ad futuram gloriam? Quid concupiscere poterit in sæculo nequam, cujus oculus semper videt bona Domini in terra viventium, semper videt æterna præmia? *Tibi dixit cor meum*, Propheta loquitur Domino; *tibi dixit cor meum: Exquisivit te facies mea: faciem tuam, Domine requiram* (*Psal. XXVI, 8*). Quis mihi tribuat, ut omnes surgentes stelis in excelso, et videatis exultationem, quæ ventura est vobis a

Domino.

8. Non sit molestum vobis, obsecro, quod in monte hoc aliquando diutius immoramur: poterimus enim cæteros festinantius pertransire. Verum tamen in isto quem non detineat sententia illa sancti Petri, quam in eo protulit, et de eo: *Domine*, inquiens, *bonum est nos hic esse*? (*Matth. XVII, 4*.) Quid enim tam bonum est, imo quid aliud videtur bonum, quam in bonis animam demorari, quandoquidem adhuc corpus non potest? Puto quod ejus qui ingrediebatur in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, in voce exultationis **921** et confessionis, sonus epulantis fuerit (*Psal. XLI, 5*): *Bonum est nos hic esse*. Quis enim ex vobis secum cogitans futuram illam vitam, sed lætitiæ, sed jucunditatem, sed beatitudinem, sed gloriam filiorum Dei: quis, inquam, talia tranquilla secum conscientia volvens, non continuo de plenitudine intimæ suavitatis eructat, *Domine, bonum nos est hic esse*? Non sane in hac ærumnosa peregrinatione, ubi corpore detinetur, sed in suavi ac salubri illa cogitatione, in qua corde versatur: *Quis mihi dabit pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam?* (*Psal. LIV, 7*.) Vos autem, filii hominum, filii hominis qui descendit de Jerusalem in Jericho, filii hominum, usquequo gravi corde? Ascendite ad cor altum, et exaltabitur Deus (*Psal. LXIII, 7, 8*). Hic est enim mens, in quo transfiguratur Christus. Ascendite, et scietis quoniam Dominus Sanctum suum mirificavit.

9. Obsecro vos, fratres mei, non graventur corda vestra in curis sæcularibus; nam de crapula et ebrietate (gratias Deo) non magnopere necesse habeo vos admonere. Exonerate, obsecro, corda vestra gravi mole terrenarum cogitationum, ut sciatis mirificatum a domino Sanctum suum. Levate corda vestra cum manibus quibusdam cogitationum, ut transfiguratum Dominum videatis. Formate in cordibus vestris non modo patriarcharum et prophetarum tabernacula, sed omnes domus illius cælestis multiplices mansiones secundum eum, qui circuibat immolans in tabernaculo Domini hostiam vociferationis, cantans, et psallum illum diceas

Domino: *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini* (*Psal. LXXXIII, 2, 3*). Circuite et vos, charissimi, cum pietatis et devotionis affectu vel hostia, visitantes animo sedes supernas, et multas, quæ in domo Patris sunt, mansiones, humiliter prosternentes corda vestra ante thronum Dei et Agni; cum reverentia supplicantes singulis ordinibus angelorum, patriarcharum numerum, cuneos prophetarum et senatum apostolicum salutantes, coronas martyrum suspicientes purpureis rutilantes floribus, redolentes liliis choros virginum admirantes, atque ad mellifluum novi cantici sonum, quantum prævalet infirmitas cordis, erigentes auditum. *Hæc recordatus sum* (Propheta loquitur *[alias additur Domino]*), *et effudi in me animam meam*. Quæ? *Quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei* (*Psal. XLI, 5*). Et item: *Memor fui*, inquit, *Dei, et delectatus sum* (*Psal. LXXVI, 4*). Quem viderunt apostoli, vidit et iste, nec dissimili, ut arbitrator, visione: nisi quod spirituale totum habuit hujus visio, corporeum nihil. Omnino non vidit eum sicut is qui dicebat: *Vidimus eum, et non erat illi species neque decor* (*Isa. LIII, 2*). Transfiguratum procul dubio vidit et speciosum forma præ filiis hominum, qui delectatum se perhibet, sicut et apostoli: *Bonum est*, inquiunt Domino, *nos hic esse*. Et ut nihil desit propositæ similitudini, illi quidem proni cecidisse leguntur (*Matth. XVII, 6*), hic vero suum fatetur spiritum defecisse (*Psal. LXXVI, 4*). Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te! Ascendentes igitur in hunc montem, et revelata facie gloriam Domini speculantes, haud dubium quin clamare habeatis et vos: Trahe nos post te. Quid enim prodest scire quo sit eundum, si quidem qua debeas ire non noveris?

10. Alterum proinde montem ascendas necesse est, in quo prædicantem audias, scalam erigentem octo distinctam scalaribus, cujus summitas cælos tangit. *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum*. Jam si primum ascenderis montem jugi meditatione supernæ gloriæ, istum nihilominus montem ascendere non gravaberis, ut in lege ejus mediteris die ac nocte? sicut idem Propheta non solum meditabatur in præmiis, sed et in mandatis Domini quæ dilexit (*Psal. CXVIII, 47*). Sic enim audies et tu: *Et quo eam, scitis*, propter ascensionem primam; *et viam scitis* (*Joan. XIV, 4*), propter secundam. Propterea in corde tuo pone viam veritatis inquire, ne forte sis de eorum numero qui viam civitatis habitaculi non invenerunt. Magis autem sollicitus esto ascendere non modo cogitatione **922** cælestis gloriæ, sed et conversatione, quæ cælestem gloriam mereatur.

11. Tertium nihilominus montem lego, in quem ascendit solus orare (*Matth. XIV, 23*). Vides ergo quam bene sponsa in Canticis: *Ecce, inquit venit*

iste saliens in montibus (Cant. II, 8). In primo transfiguratus est, ut scires quo tenderes; in secundo verba vitæ locutus est, ut scires qua pervenires; oravit in tertio, ut eundi et perveniendi bonam obtinere studeas voluntatem. *Scienti enim bonum, et non facienti, peccatum est illi* (Jac. IV, 17). Propterea sciens quoniam in oratione datur bona voluntas; cum videris quæ agenda sunt, ut convalescas ad agenda quæ videris, ascende tu ad orationem; ora instanter, ora perseveranter, sicut ille pernoctabat in oratione, et dabit Pater bonus spiritum bonum petenti se. Et vide quam utiliter orationis tempore etiam corporalis loci secretum quærimus, quando hoc ille non solum docuit verbo: *Intra, inquiens, in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum* (Matth. VI, 6); sed et commendavit exemplo, nec domesticorum quemquam admittens, sed solus ascendens ad orationem.

12. Putas, poterimus aliquid amplius de ejus ascensionibus invenire? Poterimus utique. Volo enim ut nec jumentum ipsius sis immemor, super quod legitur ascendisse. Volo ut nec ipsam crucis ascensionem omittas. Nam et in illa exaltari oportebat Filium hominis. *Et ego, inquit, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum* (Joan. XII, 32). Itaque cum jam et cognitio suppetit, et velle adjacet; quid ages, quod perficere bonum non invenis; sed asinini quidam et bestiales motus legem contrariam habent, et captivare te volunt? quid, inquam, facies super concupiscentiis irrationabilibus, quæ sunt in membris tuis? Urget te etiam cum jejulare consentis, gula illecebra; cum vigilare proponis, somnolentia premit. Quid faciemus huic asino? Asinum enim istud est, commune cum asinis; quia homo *comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis* (Psal. XLVIII, 13). Ascende, Domine, super asinum istum, conculca hos bestiales motus; quia domari debent, ne dominari prævaleant. Nisi enim calcati fuerint, conculcabunt nos; nisi premantur, oppriment nos. Propterea sequere, anima mea, et in hac ascensione Christum Dominum, ut sub te sit appetitus tuus, et tu domineris illius. Nam ut in cælum ascendas, prius necesse est levare te super te, calcando carnalia desideria, quæ in te militant adversum te.

13. Sequere etiam ascendentem in crucem, exaltatum a terra, ut non solum super te, sed et super omnem quoque mundum mentis fastigio colloceris, universa quæ in terris sunt deorsum aspiciens et despiciens, sicut scriptum est: *Cernent terram de longe* (Isa. XXXIII, 17). Nulla te mundi oblectamenta inclinent, nullæ adversitates dejiciant. Absit tibi gloriari nisi in cruce Domini tui Jesu Christi, per quem tibi mundus crucifixus est: ut quæ mundus appetit, crucem reputes; et tu crucifixus mundo, illis quæ mundus crucem reputat, toto inhæreas amore.

14. Jam vero quid ex hoc restat, nisi ut ad illum

ascendas, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula? Dissolvi jam, et esse cum Christo, multo magis optimum. *Beatus vir cujus est auxilium abste.* ait Propheta ad Dominum; *ascensiones in corde suo disposuit, ibit de virtute in virtutem usque ad videndum Deum deorum in Sion* (Psal. LXXXIII, 6, 8). Hæc est ultima ascensio, in qua implentur omnia, sicut ait Apostolus: *Christus qui descendit, ipse est et qui ascendit, ut adimpleret omnia* (Ephes. IV, 10). Sed de illa ascensione quid dicam? Quo ascendemus ut ubi Christus est, et nos simus? Quid ibi erit? *Oculus, Deus, non vidit absque te quæ præparasti diligentibus te* (Isa. LXIV, 4; I Cor. II, 9). Desideremus hanc, fratres mei, suspiremus ad eam jugiter: et eo magis affectus vigeat, quo deficit intellectus.

923 SERMO V.

De intellectu et affectu.

1. Hodie sedenti in throno antiquo dierum, concessurus pariter oblatum est Filium hominis (Dan. VII, 13), et erit deinceps non modo germen Domini in magnificentia et gloria, sed et fructus terræ sublimis (Isa. IV, 2). Felix unio, et amplectendum ineffabilibus gaudiis sacramentum! Idem enim et germen Domini, et fructus terræ; idem ipse et Dei Filius, et fructus ventris Mariæ est; idem filius David, et Dominus, de quo hodie gaudium ejus impletum est. unde olim præcivens aiebat: *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis* (Psal. CIX, 4). Quomodo enim non germen Domini Dominus? Idem tamen et filius ejus, utpote fructus terræ sublimis, fructus virgæ quæ de radice Jesse processit. Hodie igitur suum hunc et hominis Filium apud semetipsum Pater clarificat claritate quam habuit, priusquam mundus fieret, apud ipsum (Joan. XVII, 5). Hodie Veritatem, quæ de terra orta est, cælum sibi redditam gloriatur. Hodie sponsus auferatur a filiis, et lugendum eis est, sicut ipse prædixit. Non enim poterant filii sponsi lugere, donec sponsus cum eis erat; sed venit dies ut auferatur ab eis, ut de cætero lugeant et jejument (Matth. IX, 15). Ubi illud jam, Petre, quod dixeras: *Domine, bonum est nos hic esse; faciamus hic tria tabernacula?* (Matth. XVII, 4) Ecce enim ingressus est amplius et perfectius tabernaculum, non manu factum, id est, non hujus creationis.

2. Quomodo ergo jam bonum est nos hic esse? Imo vero molestum est, grave est, periculosum est. Nimirum ubi malitiæ plurimum, sapientiæ modicum, si tamen vel modicum invenitur; ubi viscosa omnia, omnia lubrica, aperta tenebris, obsessa laqueis peccatorum; ubi periclitantur animæ, ubi spiritus affliguntur sub sole, ubi tamen vanitas est, afflictio spiritus est. Levemus igitur, fratres mei, levemus in cælum corda cum manibus, et ascendentem Dominum sequi velut quibusdam passibus devotionis et fidei contendamus. Erit enim cum sine mora, sine difficultate obviam illi in nubibus rapiemur, et id poterunt corpora spiritualia, quod merito interim

nequeunt spiritus animales. Nunc enim quantis conatibus corda levare necesse est; quæ quidem (ut miserabiliter satis in libro propriæ experientiæ legimus) et corruptio corporis aggravat, et terrena inhabitatio deprimit?

3. At forte tradendum est, quid sic levare cor, aut quemadmodum illud oporteat elevari; sed tradendum sane ab Apostolo potius quam a nobis. *Si surrexistis, inquit, cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram* (Coloss. III, 1, 2). Ac si manifestius dicat: *Si surrexistis, et coascendite; si convivitis, et conregnate. Sequamur, fratres, sequamur Agnum quocunque ierit; sequamur patientem, sequamur et resurgentem, sequamur multo libentius ascendentem. Crucifigatur vetus homo noster simul cum illo, ut destruat corpus peccati; ut ultra non serviamus peccato, mortificatis nimirum membris nostris, quæ sunt super terram. Sed et quomodo ipse resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. In hoc enim mortuus est et resurrexit, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus.*

4. Cæterum quoniam vitæ novitas locum exigit tatiorem, et resurrectionis dignitas altiorem expetit gradum: sequamur etiam ascendentem, quætere videlicet et sapere quæ sursum sunt ibi ille est, non quæ super terram. Queris quis illa sit locus? Apostolum audi: *Quæ sursum est, inquit, Jerusalem libera est, quæ est mater nostra* (Galat. IV, 26). Vis scire quænam ibi sint? Visio pacis est. *Lauda, Jerusalem, Dominum; lauda Deum tuum, Sion: qui posuit fines tuos pacem* (Psal. CXLVII, 12, 14). O pax quæ exsuperas omnem sensum! o pax etiam super pacem! o mensura super mensuram, conferta, et coagitata, et 924 supereffluens! Compatere igitur Christo, anima Christiana: conresurge, coascende: quod est: *Declina a malo, et fac bonum, inquire pacem, et persequere eam* (Psal. XXXIII, 15). Sic nimirum Paulus in Actibus apostolorum de continentia, et justitia, et spe vitæ æternæ memoratur docuisse discipulos (Act. XXIV, 25). Sic veritas ipsa monet in Evangelio præcingere lumbos, lucernas accendere, et deinceps hominibus expectantibus Dominum suum similes inveniri (Luc. XII, 35, 36).

5. Cætera gemina quædam, si bene advertistis, ascensio nobis ab Apostolo commendatur, in eo quod et quætere, et sapere monuit, non infima, sed superna. Quam fortasse distinctionem nec ipse quoque Propheta præterisse omnino videbitur, dicens: *Inquire pacem, et persequere eam*, ut hoc sic pacem sequendam quætere, persequi inquisitam, quod est sapienda quætere, quæ sita sapere, quæ sursum sunt, non quæ super terram. Nimirum donec divisa sunt corda nostra, et multos interim sinus inveniuntur habere, nec sibi omnino coherere videntur; vel particulatim ea et membratim quodam modo levare necesse est, ut in superna illa Jerusalem colligantur, cujus participatio ejus in idipsum: ubi non tantum

singuli, sed et omnes pariter incipiant habitare in unum, non modo scilicet non divisi in semetipsis, sed nec inter seipsos. Ecce enim ut tanquam principalia cordis ipsius membra distinguam, est intellectus in nobis, est et affectus; et hi quoque sæpius sibi invicem adversantes, ut alter summa petere, alter appetere infima videatur. Quantus vero is dolor quam gravis animæ cruciatus, dum sic distrahitur, sic dilaceratur, sic abrumpitur a seipsa, vel ex ea saltem, quam omnibus experiri in promptu est, corporis scissione concitiat, si quis in suo spiritu animadvertere perniciosam et periculosa insensibilitate non neglexerit. Distrahuntur hominum crura, et longioris obice ligni removentur ab invicem pedes; et dum adhuc cutis integra manet, quis tamen ille est cruciatus?

6. Sic, sic affligi plangimus miseros, qui corporaliter inter nos conversantes, illuminati forte similiter, sed dissimiliter inveniuntur affecti. Intelligent pariter bona quæ faciant, sed non pariter diligunt intellecta. Nam de ignorantia, fratres, quænam excusatio nobis, quibus nunquam doctrina cœlestis, nunquam divina lectio, nunquam spiritualis eruditio deest? Quæcunque vera sunt, quæcunque pudica, quæcunque justa, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ; si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc discitis et accipitis, hæc auditis pariter et videtis, in exemplis videlicet et verbis eorum qui inter vos sunt perfecti, quorum et exhortatio, et conversatio plenius erudit universos. Utinam autem hæc, ut intellectum admonent moveant et affectum! ne sit intus amarissima contradictio, et divisio molestissima, dum hinc quidem sursum trahimur, sed retrahimur inde deorsum.

7. Nimirum advertere potes in omnibus fere religionis congregationibus viros repletos consolatione, superabundantes gaudio, jucundos semper et hilares, ferventes spiritu, die ac nocte meditantes in lege Dei, crebro suspicientes in cælum, et puras manus in oratione levantes, sollicitos observatores conscientiæ, et devotos sectatores bonorum operum: quibus amabilis disciplina, dulce jejunium, vigiliæ breves, labor manuum delectabilis, et universa denique conversationis hujus austeritas refrigerium videatur. Contra sane invenire est homines pusillanimes et remissos; deficientes sub onere, virga et calcaribus indigentes: quorum remissa lætitia, pusillanimitas tristitia est: quorum brevis et rara compunctio, animalis cogitatio, tepida conversatio: quorum obedientia sine devotione, sermo sine circumspectione, oratio sine cordis intentione, lectio sine ædificatione: quos denique, ut videmus, vix gehennæ metus inhibet, vix pudor cohibet, vix frenat ratio, vix disciplina coercet. Nonne tibi horum vita inferno penitus appropinquare videtur, dum intellectu affectui, et affectu intellectui repugnante, necesse habent mittere manum 925 ad opera fortium, qui cibo fortium minime sustentantur, socii plane tribulationis, sed non consolationis? Exsurgamus, obse-